

promissionis (Josue enim et Joscua seu Jhosua vel Jescua idem sunt et significant quod Jesus; et ita vocatur Josue a Septuaginta interpr.) alter Jesus filius Josedech summus sacerdos: tertius Jesus Sirach auctor Ecclesiastici, doctor synagogæ. Nec absca causa: fuerunt enim hi tres, figura Christi Iesu, qui ad tres potissimum fines in hunc mundum venit. Primo, ut nos redimeret: secundo, ut nos doceret: tertio, ut exemplo suo duceret, sicque nobis esset: *Vita, veritas et via.* Quoad primum, figura illius fuit Jesus summus sacerdos, qui Iudeos e Babylonica captivitate in Jerusalem reduxit, ibique sordidis vestibus, quibus induit venerat, abjectis, novis pulchrisque induit, ut habetur Zach. III. ac templum reædificavit. Sic enim Christus, nos e confusione et captivitate peccati in gratiam reduxit, tuncque in resurrectione, deposita carne mortali, immortalem et gloriosam induit, atque Ecclesiam instauravit. Quoad secundum, figura ejus fuit Jesus Sirach, doctor synagogæ, quia mundum docuit viam cœli. Quoad tertium, figura ejus fuit Josue, qui preævicit duxit populum per desertum in terram promissionis quemadmodum et Christus exemplo suo ad viam cœli ineundam, et conficiendam nos pertraxit. Rursum salutis nostræ negotium in tribus omnino consistit, in redemptione, justificatione, glorificatione. Christus nobis hæc omnia præstít: in primo, figuratus per Jesum summum pontificem; in secundo, per Jesum doctorem; in tertio, per Josuen seu Jesum ducem. Quamobrem jure vocatus est Jesus, id est, Salvator, quoniam talis erat, et vere ipse solus, si ad sensum, non ad sonum vocis attendimus, nemo enim hæc omnia, adeoque veram salutem præter ipsum attulit.

VI. Cur nomen hoc sortitus est post circumcisionem? Resp. quia placuit ei non prius tam gorioso nomine insigniri, quam id promeruisse, sanguinem suum pro nobis fundendo. Quam ob causam merito caput aperimus, et genua submitimus, cum nomen hoc audimus; siquidem id nomen adeoque salus et redemptio nostra magno ei stetit. Non facimus hoc Christi auditio nomine; quia nomen hoc dignitatis est, regibus et sacerdotibus commune.

VII. Quomodo Salvatoris munus executus est? Respons. exactissime, quia omnes ejus vivendi rationes et studia, miracula, conciones, indefessi labores, denique mors ipsa, ad salvandum destinata erant. Duo sunt quæ maxime aliquem insignem et illustrem in arte vel munere aliquo efficiunt; primum effectus vehemensque studium, artem illam apte et cum laude exercendi; alterum ut quis artem calleat. Quam autem Christi cordi

inhæserit nominum salus, quanta sitis, quis nesciat, nam et sommi et cibi obliviousebatur, et peragrabat omnes vicos, oppida, castella, ut animarum salutem curaret, quinetiam, Marci II. ita in hoc opus incumbebat, ut crederetur a suis in furore versus. Deinde, ita callebat artem hanc, ita penetrabat modum, quo singuli salutem, sine liberi arbitrii iactura consequi possent, ut nec angeli, nec hominis perspicacia eo attingere possit. Hinc est, ut his, qui fœdas voluptates amabant, proponeret iusta, uti Samaritanæ, Joan. IV. *Aquam quæ fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam,* quæque omne extingueret sitim: his qui aurum sitiebant thesauros polliceretur æternos: *Vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, habebis thesaurum in celo:* parvulos amplexaretur, juveni præcipiter mandatorum observationem, utpote adhuc rudiori; eos qui siderum arte pollebant, perstellam ad se vocaret: non abhorrebat a peccatoribus, non illos a se abigebat, licet adesserent, qui propterea murmurarent. Porro ab iis, quæ a Salvatoris munere et partibus aliena viderentur, sedulo abstinebat, ut cum petenti cuidam: *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem,* respondit: *Homo quis me constituit judicem aut divisorum super vos?* Luc. XII. Item cum corripuit filios Zebedæi gestientes perdere Samaritanorum civitatem, dicens: *Nescitis cujus spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare,* Luc. IX. Denique, si a capite illum ad pedes usque intueamur, Salvatorem undique fatebimur. Undique salutem spirat, verba ejus verba vite æternæ sunt, oculi peccatores sanant, sputum cæcis lumen tribuit, contactus vestis sanguinem sistit, contactus manuum lepram pellit, vox defunctos suscitat. Quemadmodum enim bos gibbosus, quem Hispani corcobado vocant nihil pene in corpore suo gerit, quod non salutarem usum præbeat hominibus: nam et sanguinem ejus recentem hauriunt indigenæ more potus, et carnem crudam edunt loco panis, cornibus utuntur ad pocula, vesica et ventriculo pro vasis, pelle pro utribus, e corio domos, funes, calceos ac vestes, ex ossibus arma conficiunt, e nervis fila crassiora, e pilis tenuiora, stercore ignem nutrunt uti et nos ligno, Cardan. I. VII. de variet. cap. XXXIII. Ita quæcumque in Christo sunt, vel quoquo modo e' adhærent, salutaria mundo sunt: carne ejus pascamur, sanguine ejus potamur et abluimur vulneribus ejus sanamur, nuditate ejus vèstimur, cruce ejus inflammamur ad Dei virtutum amorem, etc.

VIII. Estne venerandum hoc nomen et quantopere? Respond. omnino et super omnia alia nomina, quia apostolo teste est nomen super omne nomen, ad Philip. II. adeoque venerabilius ipso

nomine tetragrammo, Jehovah. Primo, quia est proprium Verbi incarnati nomen significans totam incarnationis et redemptionis œconomiam, seu Deum, qua Salvator et redemptor est. (Hoc autem beneficium redemptoris majus est, quam creationis; quia nihil nasci profuit nisi redimi profuisset, ut Ecclesia canit.) Nomen autem Jehovah significat Deum, qua Dominus et creator est. Ad hæc redemptoris nomen includit nomen creatoris, non e contra; quia redemptio supponit creationem, non contra. Hinc inferit Abulensis, in c. XX. Exodi, majus esse peccatum accipere nomen Jesu in vanum, quam nomen Dei, et confirmat ex usu Ecclesiæ, quæ audito nomine Jesu flecti genua et inclinat caput, non autem audito Dei nomine. Secundo, quia non ab homine vel creatura aliqua, sed a SS. Trinitate Christo est impositum, et ab archangelo in terras delatum. Tertio, quia est nomen per quod omnes salvi fieri debemus; siquidem salutem et Salvatorem nobis annuntiat. Quarto, quia est nomen efficacissimum, primo, ad corporis ægritudinis curandas, Act. III. *In nomine Jesu Christi surge:* secundo, ad pellendos e corporibus dæmones, Marc. ult. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Exemplum habetur, Act. VI, § XVIII. ita utetiam perfidi aliqui ad id, hoc nomine uterentur eventu quandoque felici, ut Luc. IX. vers. XLX. quandoque infelici, ut Actor. XIX. vers. XIII. Tertio, ad eorumdem Dæmonum tentationes et insidias pellen-das; quod experti S. Anton. Hilarion, Edmundus, Abrahamus, aliique; denique, ad miracula patranda, omniaque sanctificanda. Ac licet effectus prædicti quandoque etiam per alia Dei nomina obtineantur, non tamen toties ac tam certo licet, nec in nominis Jesu invocatione tanta efficaciam certitudo sit, quanta est in sacramentis, quia non extat hujus rei promissio vel sanctio aliqua. Sexto, quia usu receptum fuit apud omnes Christianos, ut hoc nomen summe honorarent, capitis adapertione, poplitum flexione, vel alio honoris indicio, ut cum eleganter pingitur radii solarii businctum, item dum nemo sibi hoc nomen ausus est tribuere. Denique, quia a Sibyllis olim pronuntiatum fuit, ut docet acrostichis illa versuum Sibyllæ Erythraæ, quorum primæ litteræ hoc redunt: *Jesus Christus Filius Dei Salvator, et crux.*

Superest ut hoc nomen et nos omni veneracione colamus, ut per Salvatorem salutem consequamur, etc.

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

## VARIE STRENÆ VARIIS OPTANTUR.

I. Magistratu, ut fiant hortulanii. — II. Religiosi, ut morianturæ. — III. Consiliarii, chiragra. — IV. Literati, ut stulti fiant. — V. Conjugibus, ut vir viarus sit, uxor autem cæca. — VI. Virginibus et viuis, podagra. — VII. Pauperibus, ut tales manent. — VIII. Divitibus, ut descendant in infernum viventes.

## THEMA.

*Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum, sed etiam omnes, qui audiant, hodie fieri tales.* Act. XXVI.

Antiquissima consuetudo est, ut hoc die alteri alteri bonum et felicem annum optet. Quin et antiqua opinione seu superstitione potius creditum est, nihil hoc die mali optandum esse; eo quod crederent optata revera eventura. Motus inde quispiam, præsentibus multis, optavit sibi hodie: *Utinam deberem decem millia aureorum!* Absit, inquit adstantes: nihil hoc die mali optandum, quia evenire solet. Verum alter: *Nescitis, inquit,*

## V. PARS FESTIVALIS.

quid optarim. Bene, non male mihi sum precatus. Debo enim centum millia aureorum: opto igitur ut solum decem millia debeam. Refert Pontanus, in Att. bellariis. Multoties videtur alius malum est quod optatur, cum revera bonum sit. Ita cum Agrippa rex tetrarcha Judææ audiisset Paulum vinclum, Christum prædicantem, et dixisset: *In modico suades me Christianum fieri,* Paulus respondit: *Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales,* scilicet Christianos. Hic certe optimam rem optaverat Agrippa, quamquam illæ hoc non intellexit, sed, abrupto colloquio, surgens discessit. Igitur si et ego Paulum imiter, et vobis optem ea, quæ carni quidem displicant, animæ vero ad salutem prosunt; spero utique vos non discessuros cum Agrippa, cæco et gentili, sed liberenter accepturos, et sicut oportet sano intellectu, non, ut sonant, ad litteram interpretatores.

I. Primæ videntur deberi magistratu sive ecclesiastico, sive sacerulari. Et quid huic optabo? Opto ei ut induat naturam hortulanii. Hoc optavit ac persuasit pius quidam eremita Theodosio im-

peratori, referente Beato Petro Damiani cardinale episc. lib. VII. ep. XI. ad Gottifredum ducem Tusciae. Hic enim cum in familiari conversatione suasisset imperatori clementiam erga reos, abstinentiam ab effusione sanguinis eorum; indeque, obtemperante imperatore, respublica sceleratis impleretur conquerentibus de injustitia imperatoris statibus, iterum misit veredarium ad eremitam, consilium alterum petens. Ergo eremita praesente et inspectante legato, arripit sarculum, et hortum ingressus, sarrit et noxia demolitur, steriles herbas extirpat, virentes excolit, et communis oluscula: tum abire legatum et referre imperatori, que vidit, jubet. Indignatus hic, quasi absque responso dimissus, retulit quae vidit. Rem mox intellexit imperator, ut nimurum reprobos eradicaret, bonos foveret: sic fecit, et rem publicam composit. Addit Damianus exemplum Othonis tertii imperatoris, qui suo ævo, cum esset primum viginti annorum, tribus regni processibus, Rudolphi, Raymundo et Arimundo bonorum alienorum direptoribus, oculos eruit, eoque exemplo totum regnum tremefecit et in pacem reposuit. Unde per ora populi vulgatum erat: *In evulsione sex oculorum pacatum est regnum.*

II. Religiosis opto ut moriantur, si vivunt, vel si mortui sunt, ne ad vitam redeant. Hoc enim et David aliquibus optavit, scilicet: *Veniat mors super illos*, Ps. LIV. Optavit, et suo discipulo Sanctus Gregorius Nyssenus frater S. Basillii, ut in ejus vita refertur. Is enim cum quereret e magistro suo Gregorio, quid esset abnegatio sui, adeoque religiosus, misit illum ad cœmeterium, jubes, ut ossa mortuorum calumniis, probris ac conviciis oneraret, quantum posset. Fecit ille iuxta, dicens: *Vah ossa putida, putrida, vermis exosa, viperis scatentia! Vah deformia cadavera, ossa latronum, sacrilegorum, furum, etc.* Reversus ad præsulem, rogatur quid responderint ossa, an se defenderint, an expostularint, an calumnias rependerint, aut verbera. Respondit: Minime, sed muta contacuisse. Jubet ergo rursum ire, eaque laudibus evhere. Tum is: *Heu ossa candida, nitida, nobilia, capita principum, herorum, doctorum, heroinarum, etc.* Rediit et rursum interrogatur, an sibi aplauserint, gratias egerint, exultarint, intumuerint. Nihil horum, inquit ille, sed ne minimum quidem se commoverunt. Tum præsul: *Vado, et tu fac similiter: non movearis laude vel vituperio, et sic abnegabis te ipsum, fiesque religiosus bonus.*

III. Consiliariis et officialibus quid optandum? Opto illis chiragram, sed moralem, non naturalem; ut sint impotentes ad capienda munera. Projice bursam auro gravem in manum chiragi-

ci; statim is cum clamore tibi indignabitur, aurumque excutiet. Hoc istis opto, ut munera obligata velut semina dolorum respuant et abjiciant. Non est spernendum hoc, quod Christus ipse precatur, Matth. XVIII. *Si manus tua scandalizat te, abscede eam et projice abs te. Bonum est tibi debilem (Græce mancum) intrare in regnum cœlorum, quam duas manus habentem mitti in gehennam ignis.* Quid abscissa manus velit, docebit Plutarchus et ipse senatorii ordinis in Illyrico ab imperatore Trajano constitutus, qui ait in lib. de Iside: *Thebis judicum imagines visuntur absque manibus et summi judicis oculi connivent; eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* Adfert idem in apophthegm. exemplum M. Curii senatoris Romani, cui ad focum sedenti et rapas coquenti, cum Samnites magnum auri pondus attulissent pro munere, respuit id, asserens: *Se auro opus non habiturum, quandiu tali cibo contentus vixerit.* Voluit ergo dicere, se chiragram habere, nec posse acceptare aut numerare pecunias. O chiragram salutarem! Nam alioquin *mutnegra tum murva* (argentum et aurum) faciunt *receptissima curva*, et trahunt in gehennam.

IV. Litteratis et studiosis quidnam? Opto eis, ut stulti fiant. Quid? Sapientiam illi querunt. Sed antequam ad eam pertingant, prius stulti fieri debent. Id enim eis optat S. Paulus, I. Cor. III. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens;* stultus, inqua, coram mundo, per humilitatem, disciplinam, crucem et obedientiam Christi, quæ tamen stulti sapientia est coram Deo. Itaque litterati in primis agnoscent se esse rudes, et parum adhuc scire, multo plura se nescire, quam sciunt; adeoque semper sibi discendum esse. Hoc est, quod Menedemus, apud Plut. de profectu virtutum, dixit, quod: « Studiosi, qui discendi gratia Athenas navigarent, initio sibi viderentur sapientes, tum philosophi, tum oratores, tandem progressu temporis rudes et plebeii; quo enim magis doctrinæ se præberent, eo magis fastum et ignorantiam deponerent. » Plane sicut qui in valle est, putat vicinum esse cœlum et montibus inniti: ubi ascendit montem, ibi primum videt multo longius id distare, quam in valle apparebat. Nec hoc solum, sed plus intendit apostolus, ut nimurum amplectantur disciplinam, obedientiam, crucem, quæ coram mundo est sultitia, coram Deo sapientia vera, submittant se disciplinæ et obedientiæ, captivent intellectum in rebus fidei, subjiciant se Christi et Ecclesiæ præceptis. « Ita tres magi, ait S. Bernardus, serm. I. de epiphania, puerum adorantes in præsepio, insipientes facti sunt, ut fierent sapientes, et edocuit eos

Spiritus, quod postea prædicavit apostolus: Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. Ingridiuntur stabulum, inveniunt pannis involutum infantem: non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia, procidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. »

V. Conjugatis opto, quod optavit illis magnus et sapientissimus rex Aragoniae Alphonsus; nimirus: *Ut vir surdus sit, uxor autem cæca, referente Panormit.* in rebus ejus gestis, lib. III. c. VII. Surditatem optabat viro, ne attenderet ad garrulitatem et colloquia uxoris, neque facile audiret, quæ de ipsa dicuntur et singuntur. Cæcitas uxori, ne curiose inspiceret aut investigaret acta et gesta mariti, neque in alios viros oculos injiceret; sic enim fore constantem inter eos pacem tranquillitatem. Hoc etiam optat illis Ecclesiasticus, c. IX. Non zeles mulierem sinus tui (uxorem scilicet) ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam, hoc est, ne ipso quod suspecta tibi sit et nimis constringitur, incipiat exorbitare. Fuere sane tales Joseph et Maria, parentes Christi. Ille cum videret prægnantem conjugem, fuge potius et deserere eam voluit, quam curiose inquirere unde conceperit. Hæc nihil ad conjugis molimina attendit, quasi cæca foret, rem Deo commendans.

VI. Virginibus et viduis opto podagram, quo compellantur sedulo domi manere. Hoc optat illis Sanctus Paulus ad Tit. II. ubi vult adolescentulas esse, *domus curam habentes.* Nulli autem melius custodiunt domum, quam podagrici. Optarunt et antiqui ethnici, qui, Phidia sculptore, Venerem, seu castam et speciosam mulierem ex auro et ebore conflarunt, quæ altero pede testudinem, premebat, Pausan. in Eliacis, lib. post. p. CCIII. Testudo domiporta, domi ut affixa hæret, monebat, siquidem testudo a sua domo non egreditur, podagra ad evagandum, saltandum, convivia et spectacula adeunda ineptum hominem facit. Id viduis et virginibus prodest. Quemadmodum enim instrumentum musicum, nulli integrus et sanius servatur, quam domi sue; si enim in alienas domos efferatur ad convivia, choreas, etc. nunquam integrum redit, vel enim fides aliqua rumpuntur vel consonantia derelinquitur: ita accedit puellis. Experta id est Dina, filia Jacob, quæ a patria domo semel tantum egressa ad vicinam urbem, ut mulieres spectaret, statim raptæ et corrupta est a Sichem, Gen. XXXIV.

VII. Pauperibus opto apud Deum, ut nunquam divites fiant. Id sibi optavit Sapiens, Prov. XXX. *Mendicitatem et divitias non dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illi-*

*cias ad negandum, et dicam: Quis est Deus? Aut necessitate compulsus, fuerit.* Idem S. Franciscus hospiti suo in villa Tysi prope montem Alvernæ, bene ab eo habitus, pro gratiarum actione precatus est, et obtinuit a Deo, ut domus illa nunc S. Francisci dicta, nunquam vel ditesceret, vel ad egestatem deveniret, teste Luca Waddingo in annual. Minor, anno 1215. n. XI. Notum est, quod in vita S. Antonini archiepiscopi Florentini refertur de quadam domo, cui iter faciens Antonius, videt insidere angelos; reperiturque inibi viuam et tres filias male vestitas, operibus manuum se operose nutrientes, et quidem necessitatibus gratia, die etiam festo laborasse. Quare tantum eis pecunia dono dedit, ut honeste se sustentare possent. Verum, ubi labente tempore iterum illic transit, vidit eacodæmonem tecto domus insidere, reperitque eas otio deditas et cultius vestitas. Reprehendit eos proin, et ut ad pristinum statum se componerent, admonuit, in vita ejus 2. maii. Quare aliquando præciduntur alæ aviculis? Ut ne a nobis avolent. Idem facit Deus pauperibus. Crescent illis pennæ, mox a Deo avolabunt.

VIII. Divitibus, qui ducunt in bonis dies suos, opto id, quod David, mansuetissime alioquin etiam erga inimicos, talibus optavit, Ps. LIV. *Descendant in infernum viventes, quoniam nequitæ in habitaculis eorum.* Id vero explicans S. Bern. orat. ad fratres de Monte, ait optandum reprobis, ut per meditationem pœnarum infernalium: *Descendant in infernum viventes, ne descendant morientes.* Opto igitur illis ut descendant cogitatione et sedula meditatione ad divitem epulonem in infernum, videant pœnas ejus, flammarum, sitim, clamorem, et interrogent eum quid fecerit, quo pœnas illas commeruerit. Respondebit enim non ob furtæ vel homicidia, non ob usuras, aut adulteria, non ob blasphemias aut sacrilegia se tanta illa tormenta pati; sed quia vestiebatur byssو et purpura supra statum suum; et quia epulabatur quotidie splendide, quærens in conviviis splendorem vanæ gloriæ; et quia quotidie nunquam jejunans; et quia pauperi Lazaro nihil de mensa dabat. Itane vero propter has solas et tam leves culpas tanta tormenta patitur? Ita sane. Attendant igitur divites, utrum non et ipsi talia hæc faciant. Et quem alium finem sortientur, si hæc egerint, nisi epulonis? Quis enim vita et moribus pares sunt, nunquid mercede impares erunt? Quid igitur jam vultis? Ut optem vobis annos Lazar, an epulonis in hac vita? Lazarus hic recepit mala, dives autem bona, ut testatur Abraham; Lazarus annos malos, dives bonos habuit. At nunc versa vice Lazarus consolationibus perfun-

## CONCIO II. AUCTARI.

ditur, dives autem cruciatibus perurgetur. Vide-  
mus igitur non semper esse bonos dies, qui boni  
estimantur; nec malos, qui mali. Alter mundus  
judicat, aliter Deus.

Quare, si vultis universum, et secundum sa-  
num iudicium optem vobis aliquid, opto vobis  
annum malum, id est, laboribus, tribulationibus,  
asperis patientiae, penitentiae, abstinentiae alia-  
rumque virtutum operibus plenum. Uno verbo  
opto vobis annum Lazari, non annum epulonis:  
qui, licet habeat malum et triste initium, sortie-  
tur tamen bonum et beatum finem.

## CONCIO II.

## NON FIDENDUM ANNO IN ANNO BISSEXTILI.

- I. Quia se longum fingit, cum brevissimus sit. —
- II. Quia se novum appellat, cum semper sit antiquior. —
- III. Quia multa sæpe promittit, sed pauca præstet. —
- IV. Quia de modico errore in magnum inducit. —
- V. Quia blande excipit, sed occulto hoste necat.

## THEMA.

*Consummati sunt dies octo. Luc. II.*

Interrogo vos, auditores, quid optaretis amico  
vestro, qui transire debet silvam aut pagum, ubi  
latet aliquis ejus insidiator, prædo vel inimicus?  
Meo iudicio optaretis ei loriam, qua incolumem  
se servaret. Id enim Jeremias suadet Ægyptiis,  
invadendis a Nabuchodonosore: *Induite vos loricam*,  
Jer. XLVI. Habeo igitur, auditores, quod pro novo  
anno precer vobis. Transire debetis annum bissex-  
tilem, hoc est, annum nequam seu dolosum,  
annum malum et suspectum: quamquam non  
hic solus talis est, sed alii etiam omnes. Id enim  
fatetur apostolus, Eph. V. *Videte, fratres, quomodo  
caute ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes,* redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.  
Tertullianus, antiquissimus auctor, l. de fuga in  
persecut. c. IX. legit: *Quoniam dies nequam sunt.*  
Fatetur idem Jacob patriarcha Pharaoni regi  
Ægypti: *Dies peregrinationis mea centum et tri-  
ginta annorum sunt, parvi et mali*, Gen. XLVII.  
Ecce vero mali? Quia insidias passus est a fra-  
tre Esau, a socero Laban, a Sichimitis, a filiis  
propriis, aliisque. Quando ergo tam charus Deo  
servus tam malos habuit annos, non video cur  
nos expectemus meliores. Et si talem transituri  
sumus annum, quid aliud vobis precari possum,  
quam quod apostolus in eadem epistola, c. VI.  
subdit: *Slate ergo induit lorica justitiae?* Lorica  
vero justitiae secundum Chrysostomum in eum

locum, ho. XXIV. est catholica et virtute prædicta  
vitæ, seu quod eodem recidit, bona conscientia.  
Hanc precor, hanc induite, et nil vobis nocebit  
annus iste nequam. Sed jam videamus technas,  
dolos et nequitias non hujus tantum anni, sed  
aliorum etiam quorumcumque tandem.

I. Malus et dolosus, quia se longum fingit, cum  
brevissimus sit. Id testatur Job, c. XVI. *Ecce enim  
breves anni transeunt, et semitam, per quam non  
revertar, ambulo.* Quomodo vero? Nonne dies anni  
365. sunt? Sed en dolum: sol ab oriente in occi-  
dente, ingenti quidem spatio et longissimo iti-  
nere currunt; sed eum cursum motu raptus, quo  
a primo mobili rapitur, uno die absolvit; motu  
interim proprio seu naturali per eamdem rever-  
tens, annum consumit. Metimur vitam nostram  
juxta mensuram ætatis a natura præfixæ, v. g.  
septuaginta annorum, nec attendimus ad motum  
raptus, quo sæpe violenter, multoque citius abri-  
pimur. Juvenis cogitat se posse diu vivere; sed  
non cogitat se posse cito mori: attendit ad pro-  
prium et naturale solis cursum, qui facit  
annum; non ad violentum, qui facit diem tan-  
tum. Quare si cogitatio tibi subit: Ecce adhuc  
juvenis sum, nuper exortus sum, adhuc in oriente  
sum: quam longe distat occidens! Quam longe  
absum a morte! Scito quod hoc iter possit uno  
die percurrere, et cursum tuæ vitæ uno absolvere.  
Reperiuntur quidem aliqui, qui tardiore gressu,  
uti sol retrogradus, cursum vitæ sua peragunt,  
vivunt septuaginta vel octoginta annis: sed quam  
pauci illi respectu eorum, qui citius expediuntur!  
Nemo igitur sibi crastinum promittat. Unde Eze-  
chias rex ait: *De mane usque ad vesperam finies  
me*, Isa. XXXVIII. quasi diceret: De mane usque  
ad vesperam semper momentis singulis expecto  
finem meum.

II. Quia se novum jactat, cum semper anti-  
quior fiat, quemadmodum et ipse sol, qui nun-  
quam ad eumdem numero cursum reddit. Unde  
addit Job citato capite, se non reverti per viam,  
quam ambulavit. Decipiuntur et hic homines:  
putant annum elapsum reverti atque innovari,  
solemque ad eumdem cursum redire; sed revera  
errant. Non reddit idem annus, sed alius succedit,  
nec sol ad eumdem numero cursum, quem pere-  
git, reddit, sed ad alium; tandemque absolvit  
omnes cursus sibi a Deo præfixos. Et tu post  
annum elapsum, non redis idem, sed alius: prius  
infans, postea puer: elapsu anno puer, hoc juve-  
nis: elapsu vir, hoc senex: illo senex, isto decre-  
pitus. Subrepit tibi lanugo, post barba, tum cani-  
ties, post calvities, denique mors. Unde S. Hiero-  
nymus, ep. ad Heliodorum, miratur illam decep-  
tionem nostram: *Quotidie morimur, ait, quotidie*

## IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

immutamur, et æternos nos esse credimus. Unde fit,  
ut licet magis et magis semper accedamus ad  
sepulcrum, non tamen magis nos paremus ad  
beatam mortem, vitia deseramus, et pietati vase-  
mus.

Accedit quod anni et ætates nostræ furtim se  
subducant, ita ut vix advertamus: quemadmodum  
parvuli fures, per exigua foramina intrant  
et expilant domum, ut non facile deprehendantur.  
Ideo forsitan Jacob appellat suos dies *parvos et  
malos*, Gen. LXVII. quasi parvulos fures, qui inad-  
vertenter irrepunt et elabuntur; qua de causa  
etiam a Christo dies Domini dicitur venire instar  
furis.

III. Quia sæpe multa promittit; sed pauca  
præstat. Promittit enim tibi 365. dies, hoc vero  
anno 366. numeratque omnes ac ponit in calen-  
dario, ac si omnes tibi exhibendi sint. Promittit  
hilaria, ac dicit: Ibi personas induemus, ludemus,  
saltabimus, stultescemus; promittit nives  
hiemales, ibi in rheda vehemur; promittit jucundum  
ver, ibi deambulabimus, ludemus et rosam  
nos coronabimus; promittit æstatem, ibi tot fruges  
metemus, venationes instituemus, domus  
adficabimus; promittit vacationes et autumnum,  
ibi aves capiemus, in patriam proficiscemur, vin-  
demiam faciemus, convivia instruemus, cellaria  
et horrea nostra ditabimus, ad nundinas ibimus,  
et nescio quæ alia. Nonne enim omnia ista tem-  
pora consignata sunt in hujus anni fastis? Sed  
vide ne decipiat te, quia est impostor. Consignat  
enim ista in charta, sed unum diem omittit, a  
quo reliqui omnes pendent. Quis ille? Sancti, qui  
appellatur. Quod vult Deus. Hunc omittit, cum  
tamen sine hoc reliqui omnes cadant. Ille ab  
Hunnerico rege in Wandal. persecutione, fragili  
cymbæ impositus, et in mari derelictus est, ut  
periret. Attamen factum non est quod impius rex,  
sed quod Deus voluit: salvis enim Neapolim de-  
ductus est. Audiamus S. Jacobum, ep. IV. *Ecce  
nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam  
civitatem, et faciemus quidem ibi annum, et merca-  
bimur, et lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit  
in crastino. Quæ enim est vita nostra? Vapor est ad  
modicum parens; pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit,  
et si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Nonne  
sic delusus est dives ille, Luc. XII. dicens: *Quid  
faciam, quia non habeo quo congregem fructus  
meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea,  
et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ  
nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ:  
Anima, habes multa bona posita in annos plurimos,  
requiesce, comedere, bibe, epulare.* Sed quid actum?  
Eodem die audiit: *Stulte hac nocte repetent a te  
animam tuam; quæ autem parasti cuius erunt?*

Non absimile est, quod in vita S. Silvestri legitur  
de Tarquinio Perpenna urbis præfecto, qui S.  
Silvestro, nondum papæ, comprehenso et vineto  
varios cruciatus minabatur, nisi Timothei mar-  
tyris facultates proderet. Cui Silvester: *Hac nocte  
animam a te repellet; et tu intentatus minus que-  
modo ad effectum deduces?* Hinc commotus præfec-  
tus arctius eum virxit. Interea in prandio, pisci-  
culi delicioris osso deglutio et gutturi inhærente,  
strangulatur usque ad medium noctem, ubi  
spiritum tandem elisit, sicut ei predictum fuit a  
Silvestro, Baron et Lipel. 31. dec.

IV. Quia ex modico errore dissimulato in ma-  
gnum inducit, qui vix corrigi potest. Secuta est  
Ecclesia post tempus Concilii Nicæni, anno 325.  
habiti, computum Julii Cæsaris, qui dat annuo  
solis cursui 365. dies cum sex horis integris:  
cum tamen postea Alphonsi regis Castellæ calcu-  
lus ostenderit, non esse integras sex horas, sed  
desiderari in iis centesimam trigesimam quartam  
partem diei, adeoque fere quadrantem horæ; ita  
ut intra 134. annos excedat cursum solis annuum  
integro diei: sed quia modicum illum defectum  
per annos fere 1300. non correxiimus, tandem  
prodit magnus error, et totis decem diebus a  
vero cursu solis cum festis nostris discessimus,  
et discedunt adhuc qui antiquum calendarium  
observant, augebuntque errorem uno die singu-  
lis 34. annis. Hinc diu laboratum est, donec error  
iste corrigeretur subtractione decem dierum, sub  
Gregorio XIII. pont. anno 1580.

Quemadmodum ergo in annuo solis cursu  
decepti, ex innotabili et modico in magnum erro-  
rem inducti sumus, ita contingit plurimis; ut  
dum hodie, cras et perendie contrahunt, nec  
emendant jurandi, ludendi, potandi, mentiendi,  
furandi, turpia amandi assiduitatem; tandem  
post annum deprehendant ingens in anima sua  
foramen vitiumque pene inextirpabile. Sic navis,  
dum rimas agens sensim aquam admittit, impletur  
tandem et mergitur. Sic Amyclæ, civitatis  
Italiae incolæ, dum e vicinis paludibus irrepentes  
serpentes non enecarunt, vane persuasi quod non  
liceret eos occidere, tandem multitudine illorum  
obruti, enecti sunt. Unde proverbium: *Amyclam  
silentium perdidit*, Eras. in adag. Plin.  
modo necat annus homines parvis quidem, cre-  
bris tamen excessibus; unde generantur morbi  
graves.

V. Quia blande quidem nos intuetur, excipit  
et aliquantis per dicit, stipatque velut satellitum  
aliquid: sed in eo tamen latet hostis unus igno-  
tus, qui machinatur et infert nobis necem. Con-  
tinet annus duodecim menses, quibus sol per-  
currit duodecim signa zodiaci. Illa ergo signa